



I.

G. G. L.

Brevis designatio meditatio-

num de Originibus Gentium, ductis potissimum ex
indicio linguarum.



Um remota *Gentium Origines* Historiam trans-
cendant, *Lingua* nobis præstant veterum monu-
mentorum vicem. Et vetustissima linguarum ve-
stigia supersunt in nominibus fluviorum atque syl-
varum, quæ mutatis accolis plerumque persistunt;
proximæ sunt locorum ab hominibus constituto-
rum appellationes; quanquam enim multæ villæ,
multa oppida à conditoribus nōminentur, quod in

Germania valde est frequens, quæ serius exculta est; alia tamen loca
à situ, à proventu, à cæteris qualitatibus appellantur, & vetustiorum
difficilis est etymologia. Nomina etiam vetera hominum, quorum nul-
la Germaniæ gens plura Frisii retinuit, ducunt nos in sacraria, ut sic
dicam, veteris linguæ. Illud enim pro axiomate habeo, *omnia nomi-
na que vocamus propria, aliquando appellativa fuisse*, alioqui ratio-
ne nulla constarent. Itaque quoties vocabulum fluminis, montis, syl-
væ, gentis, pagi, opidi, villæ, non intelligimus, intelligere debemus, ab
antiqua nos lingua discessisse. Sic quotiescunque nomen hominis Ger-
mani, velut Franci, Alemanni, Saxonis, Gothi, Vandali, in *Ric*, vel *Ricus*
terminatur, ut in Theodoricus, Fridericus, Hunericus, & similibus;
ignorarem fortasse fortitudinem & robur significari, nisi Venantius
Fortunatus *Chilpericum* ita exposuisset

Adjutor fortis, si interpres barbarus adfit.

Hulpe enim auxilium hodieque est. Hinc jam admonemur gigantes & heroës ante paucos annos in libris Germanicis novissimæ vetustatis *Recken* dictos ; quod proprie longurionem notat. Est enim *Recken* nunc quoque extendere , & conti seu baculi oblongi apud Brunsvicenses dicuntur *ricken*. Et ipsum *reck, ricken*, à Celto-Scytico est fonte , nam *reye, rige, regula, rigerere, rex, rignus, reissen*, aliaque multa, ad extensionem se referunt lineamque rectam, quæ nascitur, filum extendendo. Ex ipsa enim natura soni, litera Canina motum violentum notat, at K finale ejus obstaculum, quo sistitur. Sic in *Ruck (einen Ruck thun)* promotio violenta est sed per gradus, ubi quavis vice motus sistitur. Sic etiam adhibetur *Recken*, cum subito vi magna nec sine sono intenditur filum vel aliud, ita tamen, ut non rumpatur, sed sistat impetum : ita habemus ex linea curva rectam, eamque instar chordæ tensam. Sed ubi ruptio fit, pro litera K sistente, sequitur S vel Z, motus exeuntis index, & fit *Riss, Reissen, Riz*. Tales detegunt sese primæ origines vocabulorum, quoties penetrari potest ad radicem τῆς ἀνομασίας. Sed plerumque tractu temporum, crebris translationibus veteres & nativæ significationes mutatae sunt aut obscuratae. Neque vero ex *instituto* profectæ, & quasi lege conditæ sunt linguæ, sed naturali quodam impetu natae hominum, sonos ad affectus motusque animi attemperantium. *Artificiales Linguas* excipio, qualis *Wilkinsii*, Episcopi Cestriensis, viri ingenio doctrinaque egregii fuit (quam tamen vix quisquam præter ipsummet & Rob: Boylium didicit, ut hic mihi narrabat) & qualem Sinensem Golius non contemnendus judex suspicabatur : talis etiam fuerit, si quam mortales docuit Deus. At in linguis paulatim natus orta sunt vocabula per occasiones ex analogia vocis cum affectu, qui rei sensum comitabatur : nec aliter *Adamum* nomina imposuisse crediderim.

Quamquam autem hinc facilè intelligatur, multa peculiarioria vocabula labentibus seculis facta esse à variis populis, maxime cum rudis barbaries plus impetus quam rationis haberet, prorumperetque utcunque ab affectu in sonos, ut sese occasiones dabant ; variatumque fuisse, prout erant animi, organaque ipsa loquendi, quorum non omnibus nationibus æquè facilis usus : Illud tamen notatu dignissimum

mum est, per magnam continentis nostri partem *linguae* cu'usdam *antiquae* *latisimè* *fusa* *vestigia* in linguis praesentibus superesse; cum multa sint vocabula quae inde ab Oceano Britannico ad usque Japonicum protenduntur. Nolo proteritam illam Sacci ubique usurpati observationem afferre, quam nec satis examinavi: aliam vocem in exemplum accibo veteribus jam Celtis usurpatam, quibus dudum *Ma* erat equus. Unde Pausanias prodidit, triplicem equitum ordinem illis dictam *Trimarchiam*. Vox *Mare* aut *Mare* notissima antiquis Teutonibus, (quibus *Mareschalkus* qui equis praest) nunc quoque superest apud Germanos. Eadem vox *Mar* aut cognata, etiam remotissimis Tartaris ad eos usque qui Sinas sibi subjecere, eodem sensu cognita est, quod miratus est Iohannes Rex Poloniae non magis fortitudine quam doctrinae amore commendabilis, cum à Claudio Grimaldo inde à Sinis advecto quaedam Orientalium Tartarorum vocabula sibi explicata accepisset; nam Praecipitarum linguam Rex tenebat: idque mihi ipse paulo post Eximius ille Grimaldus narravit. Talis quoque est vox *kan*, de potente, proeere, Rege. Nam *kan*, *konnen*, posse significat; *King* *König*, Regem: at *Chaganus*, *Can*, Sarmatis, Hunnis Persis, Turcis, Tartaris, Principem, usque ad Sinas. Et sane in pronuntiatione literae *K* initialis vim quandam non mediocrem exerceri, prorumpente per obstaculum spiritu, ipsi sentimus. Quoties igitur vox eadem aut nonnihil transformata Britonibus, Germanis, Latinis, Graecis, Sarmatis, Finnis, Tartaris Arabibus, communis reperitur (quod non adeo rarum est) vestigium praebet linguae antiquae communis. Ut vel dicendum sit aliquando Europae Asiaeque potiora sub uno magno imperio fuisse, ubi communis quaedam lingua dominata sit (ut serius Latina per Europam, Graeca & Arabica serius per Asiam Africanamque) vel potius (quod magis sacris Literis consentit) caeteras gentes unius gentis aut stirpis emissaria coloniasque fuisse, quanquam in remotioribus paulatim detrita vestigia sint cognationis. Nam novae facile linguae nascuntur mixtura & corruptione caeterarum, & nobilem foeminam Anglam saepe audire loquentem memini, quae in Gallico Anglicè, in Anglo Gallicè dicebat. Et centeni aliquot similes facile novam linguam procudissent in posteris, qualis Rhætorum hodiernorum ex Italica Gallicave corrupta, non minus quam haec à Latina: & repetitae corruptiones corruptionum omnia tandem originis lineamenta confundunt.

Itaque non miror si interiorum Africæ & omnium Americæ linguarum cognatio cum nostris agnosci non potest

Linguas ex antiqua illa latissime fusa derivatas, in binas species non malè dividemus, *Japeticas*, ut ita loquar, & *Arameas*; Japeticæ Septentrionem implere, Arameæ meridiem; totam vero Europam nostram Septentrioni computo. Quod si Septentrionales ad *Japhetum* referas, meridionales fratrum *Semi*, *Chamique* propaginibus non inepte tribuentur. *Japhetum* ejusque filium Promethea hominum fabricatorem etiam mythologi ad Caucasum collocarunt, Aramæi (vel *Arimi*) pro Syris jam Homero innotuere.

Ex Meridionalibus linguis *Arabica* imprimis latè patet, magnam enim implet peninsulam inter Rubrum Persicumque Sinum. Et vicinæ; *Syriaca*, *Chaldaica*, *Hebræaque* ipsa, valdè ipsi sunt cognatæ. *Hebræam* velut dialectum quandam majoris linguæ consuetuens, eamque in paucis reliquiis conservatam satis apparet: nec mirum hoc est, cum exiguam Syriæ partem occupavit. At fieri potest, ut melius cæteris vetustissimas reliquias fervet, cum à nullo gente antiquiores libros habeamus. Carthaginem à Phœnicibus conditam constat, & linguam *Punicam* (cujus scena mox latine versa apud Plautum exstat,) ex Hebræa & cognatis Reinesius, Bochartus aliique egregiè illustravere.

Porro & trajecto mari rubro *Æthiopia* Orientalis meliora Arabum infedisse colonias ex ipsa *Abyssini* sermonis consideratione manifestum est: nec Amharica ab Æthiopica vulgari nisi dialecto distat. Plurimum Arabismi in maris Indici accolis apparere ajunt, ubi Malabarica lingua sese in ipsas Insulas expandit, qua de re notatu digna habet Cl. Relandus. *Ægyptia*, quæ hodie *Copta*, multum ab Arabicâ cognatisque abest; & fieri potest ut ab antiquissimis Æthiopibus processerit, antequam Arabes in Æthiopiam trajecere. Persica, Armeniæ; Georgiana, mixtura quadam ex Scythis & Aramæis, tanquam in confinio, natæ videntur; sed ex Scythis antiquissimis, quos posteri ipsorum hodiè non agnoscerent. Parthos (qui & Persæ) ex Scythia exules venisse veteres tradidère: non potui tantùm Germanici invenire in *Persico* quantum Elichmannus Salmasio dixit, & unico pene *God* excepto, cætera ferè Germanis assonantia, his cum Græcis latinisque communia sunt. *Armeniam* linguam cum *Ægyptiaca* communem habere suadum credebat Cl. Acolithus vir apud Vratislavienses doctus

& in linguis Orientalibus egregiè versatus, quarum non exigua jactura decessit : & coram mihi sententiæ rationes aliquando Berolini explicuit, sed quæ parum satisfaciebant. Equidem *Aegyptiorum* Coloniam apud *Colchos* à Scostre relictam veteres prodidere, quam verè non dixerim. Sed in linguis illis sejunctis & à cæterarum communiione abscisis diligentius studium ponendum esset, ibi enim origines altius latent.

Quicquid linguis septentrionalibus commune est, *Japericum* appellare possis, soleo & *Celto-Scythicum* vocare. Huc ergo refero quæ Germanis Græcisque communia sunt, sed ab antiquo, nam quæ seriùs per commercia literasque Gallorum & Romanorum, intervenientibus studiis & sacris, à Græcis ad Germanos pervenere, non sunt hujus loci. Sed huc etiam refero quæ Germani cum Sarmatis Fennis, Tartaris communia habent. Sanè si ratum est homines Europæ ex Oriente quasi solis motum secutos venisse ; apparet hominum examina instar sacri veris, ex Scythia progressa, Tanai, Istroque transmissis, partim in Occidentem, id est in Illyricum, Pannoniam, Germaniamque penetrasse, unde tandem in Italiam Galliam, Hispaniam progressi sunt posteri ; partim ad meridiem flexos in Thraciam, Macedoniam Græciamque vertisse : ubi seriùs ex Phœnicia & Ægypto Coloniae supervenere ; unde literæ *Græcorum* Phœniciis, sacra etiam Ægyptiis debentur. Sed Scythæ fundamentum (ut sic dicam) jecere gentis Græcorum, ut Celtae Italorum.

Scytharum nomine hoc loco perantiquos Euxini maris accolæ intelligimus, quocunque nomine veniant. Cimmericos illic Homerus collocavit, hos à Scythiis Herodotus distinxit. *Fanaïs, Danaper, Danaster, Danubius* (ne quid de Duna & Dwina dicam) ab una eademque gente quatuor magnis fluviis impositæ appellationes supersunt, & à Jornande Gotho ita enunciantur ut origo appareat, quæ nunc contracta posteriorum pronuntiatione ex parte suppressa est. Nam *Dniester, Dnieper*, ægrè antiquam radicalem literam initio servant; *Niester, Nieper*, nec servant. Favet Scythicis rerum Celticarum originibus, quod quædam veterum Scytharum vocabula ab Herodoto nobis servata, ex Celtico, id est Latino Germanicove egregiè explicantur. Nam *Aeorpata*, Amazonum appellationem, Viricidas significare, prodidit Herodotus, *A. or* virum, *pata* occidere: porro *battere, battuere*

jam antiquis Romanis cadere erat, quod superest in linguis ex Latina corruptis; nec vestigia in Germanico delunt. *Patschen* dicunt de his qui re quadam lata, ut planta pedis, manu, palmula aquam vel aliud semirestans verberant, voce à sono orta. *Vir, Baro, Herus, Herr, Er,* cognata esse apparet, quibus consonat *Aeor*, ut *in* vel oenus vino.

Nec minus feliciter *Arimaspi* explicantur, quam vocem monoculos significasse idem Herodotus locuples autor testatur: nam *Arima* (inquit) Scythæ unum vocant, *Spu*, oculus; non quod oculo altero gens careret, sed quod uno maximè in collimando uteretur. Porro *Arim* significat unitatem, solitudinem, paucitatem, itaque *Eremus* Græcis solitudo, *Arm* Germanis pauper; *Arim* Scythis erat unum, *Erti* nunc est Georgianis. At *Spehen*, *specere*, *spia* *q̄i. r.*, Germanis, Latinis, Italis Gallis. uno verbo, Celtis, est videre. Inde jam manifestè *Arimaspus*. Originaria significatione *spehen* acrem quandam aspectum significat, tanquam penetrantis, nam *Sp* passim nobis est in actionibus penetrantibus & penetrandi instrumentis. Herodotus sese cum principe Scythæ conversatum memorat, & fortasse adiit Scytharum confinia, ut fuit sanè magnus peregrinator: eoque plus (ut in plerisque) fidei meretur. Cæterum quædam antiquorum Scythicorum nos fugere quis miretur in lingua genteque tam remota, nolim enim in *Xamolxis* Getæ nomine, aut Scythæ Anacharfidis vel similium, conjecturas prodigere. Optatim autem Scythica vocabula colligi ab aliquo viro docto, ut Gallica, Phrygia, Aegyptiaca, aliaque hujusmodi ex veterum scriptis quidam congerere. Helychius jam Scythica nonnulla suppeditat.

Scythicorum nomine à Celtis sejunctorum Turcico-Tartarica, Sarmatica & Fennica complector; etsi hæc tria multum inter se distent. *Turci* jam antiquis noscebantur, Tartarorum nomen natum est, cum in orbis perniciem ductu Chingis-Cani erupere. Turcas ex regionibus venisse, quas qui nunc habitant *Usbeci* vocantur, id est ex Masagetis vel Scythiæ Persiæ vicinis, satis apparet per ipsam gentis utriusque linguam. Cognata esse Turcicæ Tartaricam Præcopensem constat, & *C. lmu cos* etiam (quod recens nomen credo & à Russis inditum) imo & *Mogallos* (quæ vetus appellatio) sermone ad Turcas accedere proditur. ipsi illi Orientaliores Tartari, Suis imperantes, multa habent cognata Turcis vocabula, ex quibus nonnulla mihi R. P. Bou-

vetus suppeditavit. Ex Turcorum genere & *Comanos* fuisse, qui tunc cum primum Tartari ingruerent inter Tanaim & Danubium fedes habebant, certis indiciis comperi. Eorum reliquæ in Hungaria supersunt (quo Tartarorum metu confugerant) sed linguâ ni fallor amissâ.

Gens non minus latè per Asiam Europamque fusa, est fuitque dudum *Sarmatarum*. Herodotus Sauromatas strictius accepit, sed Tacitus Sarmatas Germanis proximis opponit: itaque gentes eum intellexisse apparet, quæ postea *Slavonica* sunt dictæ, sub quibus comprehendimus Russos, Polonos, Bohemos, Moravos, Bulgaros, Dalmaras, (hodiernos scilicet) Slabinosque cæteros maris Adriatici accolæ, tum ad Balthicum gentes Vinidorum qui vulgo *Wendi*, (*Vandils* Germanis non confundendi) Jornandi *Antes*, & quicumque ejus generis post migrationes Germanicarum gentium in loca vacua succedentes quicquid à mari barbaro, (sic vocabant veteres) ad Albim, imo ad Salam etiam Thuringicam protenditur, tenuere. Scimus omnes Vinidos (quorum aliqui in Luneburgico tractu, plures in Lusatia Marchiaque supersunt) facillè Moscivis nuper interpretum vicem præbuisse. Et Sparwenfeldius Suedus, vir insignis & cum aliis laudibus, tum Orientalium linguarum cognitione excellens, mihi affirmavit per literas, linguam quam in Moscua didicerat intra Carnos & Carniolanos iter facienti valuisse. Jornandes *Winidis* populosam gentem in iis regionibus ferè collocat, quæ nunc trans Vistulam Polonica Republica continentur; dividitque in *Antes* & Slabinos. Sed ego *Antes* & *Wendos* vel *Winidas* sola pronuntiatione differre arbitror, litera *W* (ut passim fit) nunc præposita nunc omisâ.

Ad Sarmatas, vel si mavis, Slavos, etiam *Hunnos* refero & *Avares* quoque, qui tenuere quæ nunc Hungariæ, olim Pannoniæ appellatione censebantur. Nam postquam Gothi, Longobardi, Gepidæ, aliæque Germanorum gentes in Italiam, Rætiam, Heduos, aliæque loca transgressæ, quicquid Danubio Alpibusque interjacet, aut sponte aut à novis advenis pulsæ, deseruere; succedere Slabini quorum pars serius superveniens, *Avares* appellabantur, inde nunc quoque omnis ille tractus Slavonicis gentibus habitat, nisi ubi *Hungari*, (alterius gentis originis) interrumpere. Sane in ipsa Hungaria, Rascios, Servios, Croatos, & Zuculos & plerosque Hungariæ superioris incolæ, Slavonici generis esse,

se, ex lingua constat. Porro, apud veteres, Hunni Avarisque in Pannonia, Magni Caroli ævo conjungebantur, & nunc Hunni Avarum, nunc Avares Hunnorum nomine continebantur; sed jam ante campos ad Danaprum, nescio quos *Hunnivir* dictos, Jornandes notavit; & de genere *Hun & Var*, etiam Simocatta aliique scriptores Græci mentionem fecere.

Aliisque etiam indiciiis apparet Hunnorum gentem Slavonicam vel Sarmaticam fuisse; etsi quibusdam Græcis Turcæ dicantur Hunnica gens, sed latè sumpta voce, ut idem quod gentem Scythicam significaret: Ita enim contigit ut barbari illi remotiores, à veteribus Scythæ, à mediis Hunni, item Turcæ, à recentioribus Tartari generali vocabulo appellarentur. Ex Prisci Rhetoris legatione constat, duas tantum Linguas in aula Attilæ usitatas fuisse, Gothicam & Hunnicam. Gothicam esse Germanicam manifestum est, & vel Regum nomina demonstrationi sufficiunt. Hunnica autem, nisi ipsa fuisset Sarmatica, debuisset etiam tertia illic usurpari, cum Attila inter medias gentes Slavonicas tunc versaretur. Adde quod *Coni* vel *Chuni* vocabulo equum Sarmatis significari constat, ut proinde *Hunnorum* nomine nil nisi equites significarentur: semperque in equis egisse, non minus quàm nunc Tartaros successores, ex veterum narrationibus constat. Jornandes inferias Attilæ datas describens, ingentis *Stravva*, id est, ut ipse explicat, commestationis meminit, porro apparatus lautiolem, nunc quoque *Stravva* nomine Sarmaticis gentibus venire, Cl. Eccardus professor Helmstadiensis indicavit; qui dudum hortatu meo antiquitatibus linguæ Germanicæ illustrandis non sine successu incumbit. Cazaros quoque ad Euxinum Pontum olim sitos, Slavonici fuisse generis, indicia habeo.

Alia gens Septentrionis natio *Finni* habendi sunt, quos Tacitus Fenno nominat; miramque eorum feritatem, qualis hodiè Laponum Sylvestrium aut Samojedarum, describit. Et sanè Laponum gentes originem cum Finnica communem habere dudum nos Schefferus ex lingua docuit. Et jam Jornandi *Scridi-Finni* dicuntur (à cursu, nam *schreiten* est passus facere) quos hodie Lappones appellamus. Sed & longius in orientem cognationes protendebant. Cujus manifestum indicium *Hungari* præbent cognatus Finnis populus, quos ab interiore Scythia, & ut nunc loquimur, à regionibus Siberiæ propioribus venisse ex Jornande constat. Et Rubruckius à Ludovico S. ad

taros missus, didicit, antiquam Hungariam tunc dictam *Pascatir*, quam credo esse quæ hodiè *Baskiria* nomine sub Magni Russorum Monarchæ ditione est. Porro nulla linguarum Europæarum Hungariæ æquæ ac Finnica accedit, quod Comenius, quantum sciam, primus notavit. Sed & nuper Fabricio ex Suedia ad Persas commerciorum causa misso, comes juvenis Finus Cl. Brennero cognatus, cum in itinere, non procul Volga jam ad Caspium æquor accedente, pro jumentis ad vehicula conductis nummos incolis alicubi solveret, miratus est illis nomina numeralia pene eadem Finnicis esse; inde ad colloquium progressus, intellexit pleraque, intellectusque est. Itaque arbitror, veterem magnam & continuam à Septentrionali Oceano ad Caspium penè inare nationem, Slavis postea sive Sarmatis intervenientibus, extrita parte, fuisse interruptam. Fortasse & *Estii* & *Libones* caterique maris Baltici incolæ qui originis sunt à Slavica diversæ, ad Finnicam referri debent; quanquam id ægrius agnoscamus nos, qui harum linguarum ignari sumus: Idem de *Samojedis* suspicor. *Hungari* ex Scythiâ Asiatica seriùs in Pannoniam venere, partemque ejus planam implevere, cum *Avares* incolæ Magni Caroli armis fracti, tueri se non possent. Exinde Pannonia [detracta regione quam nunc ab Orientali situ *Oesterreich*, latine *Austriam* dicimus & à Carolo Germaniæ vindicata] *Hungarie* nomen ab occupatoribus novissimis accepit: incolæ ex *Avaribus* [id est *Slavis*] & *Hungaris* misti mansere. *Hungari* scriptoribus Græcis inferioribus *Turcarum* nomine censebantur, *Turcæ Persarum* Græci ipsi *Romanorum* appellatione cohonestabantur, ad quadam veteris Imperii speciem retinendam.

Hactenus de Scythis, nunc ad *Celtas* venio, qui quicquid pene Europæ à Scythis ad mediterraneum mare & Oceanum, & commune utrique Gaditanum fretum extenditur, implevere. Olim Germanicarum Gentium partem usque ad *Tanaim* habitasse constat, etiam à *Winidis* seu *Antibus* interrumpentur; & in media *Taurica Chersoneso* non ita pridem Germanorum reliquæ superfuere, fortassis ne nunc quidem extinctæ. Postea Germani illic per migrationes fracti, omnia usque ad *Albim* *Slavis* cessere, recuperavere tamen pleraque tandem ad *Balthicum* mare & penè ad *Vistulam* usque. *Bastarna* quoque trans *Carpathios* montes Germanis olim accensebantur, sed *Dacos* & *Getas* ad *Sarmatas* referre malim. *Illyrii* veteres & *Pæones*,

credo, olim Celtæ, id est Germani vel Semi-Germani erant. Slavonica vero lingua nullo jure *Illyrica* appellatur, etsi hodiè Slavi & Illyricum & omnia loca vicina teneant, nam seriùs immigrarunt. Gentes *Alpinas* Livius semi Germanicas vocat. Et omnes illos Celtas ad Germanos refero quicumque à Rheno in Septentrionem atque Orientem extendebantur: Sed qui trans Rhenum nobis Celtæ, ad Gallos pertinebant, tamen Belgarum origo magis Germanica censebatur. Antiquiora tamen spectanti generatim Gallos à Germanis, Germanos à Scyth's ortos credibile est, ut jam diximus; etsi paulatim longo temporum migrationumque intervallo linguæ mutatae sint.

Veteris Gallicæ reliquiæ, Pontano, Cambdeno aliisque collectæ nunquam magis quam in *Aremorica* & *WVallica* spectantur. Hujus dictionariolum Boxhornius originibus Gallicis inferuit, quod consideranti mihi manifeste apparuit multum Wallicam ex Germanico traxisse. Si pleraque hodie parum agnoscimus, mutationes crebras temporum, locorum, hominum migrantium spectare oportet. Insulæ ex continenti vicino habitatores accepere: Veteres Britanni ex Gallicis & Germanis orti sunt: *Cymraei* ist est, Cambri vel Walli, ex *Cimbris* credo, ut Angli ex Saxonibus; successores Britannorum, ex successoribus Cimbrorum. Et quia minus mutantur linguæ in locis parum accessis, crediderim Cymræos veteribus Cimbris lingua propiores quàm hodiernis Germanis *Hibernos* putem ex ipsa Britannia ortos, itaque lingua Hibernica refert nobis antiquiores Britannos id est adhuc antiquiores Germanos Gallosque; proinde ex Hybernis antiquissimi Celtæ in lucem revocabuntur. In quo labore virum doctum apud Anglos laudabiliter versatum intelligo.

Ex Celtis, id est Germanis Gallisque, Alpes Pyrenæosque transgressis, Italiam & Hispaniam habitatores accepisse credibile est, longe ante illos qui memorantur Livio Gallorum posteriorum adventus. Aborigine Italiae intelligo, id est incolas Græcis, Lydis, Phrygibus, Phœnicibus aliisque mari advectis antiquiores. Nam antiquissimæ migrationes omne terra factæ sunt, serius & ægrè magna multitudo navigavit: quanquam Tacito contrarium exciderit. Græcorum deinde multæ in Italia maritimæ coloniæ conditæ sunt: inde Lingua Latina ex Celticâ Græcaque mistis nata. Postea pars Italiae citerior Gallia Cisalpina, ulterior magnæ Græciæ nomen tulit; in medio Latini & Tusci

Tusci cum vicinis plurimum utrinque trahebant. Hetruscam antiquam non intelligimus, ac quæ ipsius in lapidibus nonnullis supersunt, ne legimus quidem.

Hispanorum quoque antiquitates longinquæ minus exploratæ sunt. Reinesius in libello de Deo Endewellico aliquam lucem attulit. Veteris literaturæ Hispanicæ pauca rudera in nummis supersunt quos collegit Laetanosa vir doctus libello lingua Hispanicâ edito : at Cl. Baryus à consulatu apud Hispalim ad Bavaros nuper reversus in opere quod editioni parat multum auxit illustravitque. Frustra hæ literæ ad Runas referuntur, nam ipsæ Runæ nil tantæ antiquitatis ostendant, & nummos illos cusos apparet florente Romana Republica multo ante Gothorum adventum. De veterum incolarum origine non minus impedita disquisitio est. Sane pars magna Hispanorum *Celtiberi*, ex Celtis venerant, seriùs opinor : nam antiquitus quidem credibile est ipsos Iberos ex Celtis natos. Fortasse tamen *Vascones* & cognatos illis populos excipere oportet : nam Vasconum lingua ab omnibus Europæis mirè differt, nec dum aliqua alia reperta est, cui appropinquaret. An dicemus, Hispaniam ante Celtarum adventum ab Afrorum propagine habitatam, atque inde Vascones superfuisset? An potius vetus aliqua gens ex anteriore migratione, [priusquam illi adventarunt qui Celtas id est Germanos Gallosque sevère] non Hispaniam tantum sed & Aquitaniam & omnem viciniam tenuit, nam fluminum communia vocabula favent. Tres Gallias, Aquitanicam Celticam, Belgicam Cæsar distinxit : Ubi *Celtarum* nomen arctissimè sumi apparet : & crediderim propriè Galliæ Celticæ habitatoribus convenisse, deinde tam latè acceptum à Græcis, hinc Masiliam, illinc Istrum adeuntibus, notata quadam vitæ linguæque similitudine, ut omnem occidentem veteribus ignotum complecteretur. Nam olim Græci quos ignorabant populos, occidentales, Celtarum ; septentrionales, Scytharum ; Orientales, Indorum ; Meridionales, Æthiopum appellatione designabant ; ulteriora ex propioribus denominantes. Herodotus certè satis ostendit [quanquam & ipse variet] peculiarem, neque adeo magnam nationem Scythas fuisse, quæ gentibus ejusdem plagæ nomen fecit, quod nondum Homeri ævo Græcis innotuerat, non magis quam Celtarum.

Germania ut Galliæ Italiæque antiquissimos habitatores, ita *Scandinavia* paulo posteriores dedit : neque enim dubium arbitror,

Germanicas gentes ex Cimbrica Cherfonneso & Balthico litore primum in Insulas quas nunc Danicas dicimus, deinde in Scandiam ipsam transgressas & indigenis Finno-Lapponibus in remotiora pulsas, litoralia mitioresque tractus insedisse. Sanè lingua Danorum, Suedorum, Norwegorum, manifeste ad Germanicam est referenda, non minùs quam hodie Italorum Gallorum Hispanorum Latini generis censei debet: quanquam hi populi non ob originem sed imperium linguam Romanam receperint, quod secus est in Septentrionalium Germanismo. Nec mirum *Septentrionales Germanos*, citerioresque, invicem non intelligi, cum nec Austriae aut Bavariae rusticus Westphalo aut Belgæ de rure homini facile colloqui possit; *Ostfridum* Carolini ævi scriptorem Germanum (ne quid de *Ulfhila* longe antiquiore dicam) nemo nostrum hodiè sine interprete intelligeret. Ita temporum æquè ac locorum intervallis primum Dialecti, tandem & linguæ mutantur. Ubi vero sermone in literas redacto, ut meditandi spatium detur, manifestæ in plerisque communes origines effulgent; *dialeto* magis quàm *lingua* variatur. Cæterum de *lingua Germanica antiqua* inprimis præclare meritis est Franciscus Junius, cognominis Theologi filius, cujus lucubrationum pars Oxonii servatur. Hujus exemplo excitatus Georgius Hikkelius Anglicanæ Ecclesiæ Theologus, vir insignis, Thesaurum Linguarum Septentrionalium [Teutonicarum scilicet] nobis dedit magno & utilissimo labore. Apud nos nuper viri egregii Johannes Schilterus J. C. primum Ienensis, dein Argentoratensis, & [meo hortatu] Gerardus Meierus Theologus Bremensis vetera linguæ Germanicæ illustrare aggressi sunt; ambo relictis præclaris [quanquam fortasse affectis tantum] operibus morte intercepti.

Scio doctos quosdam viros apud *Septentrionales Germanos*, nunc nescio quam sibi fingere diversam à Germanis Gothorum gentem, nunc ipsam Germaniam pro Gothorum suorum Colonia habere: sed Gothos negare Germanis, testimoniisque veterum pariter ac rerum evidentiæ obstrepere nemo potest, nisi Prætorium orbis Gothici autorem obstinatione æquare velit, qui Gothos ad Sarmatas transferebat. Germanos autem ex Scandinavia processisse facilius credi posset, si interiora ejus versus glaciacem Oceanum Germanicæ gentes habitarent. Sed omnia illic citra ultraque Boddicum Sinum *Finnolappones* tenent, natio à Suedis Norwagisque tota lingua distinctans: itaque Finnos tanquam veros Aborigines magnæ illius peninsulæ concipio, quam

quam ab exigua sed proxima nobis parte Scaniâ [ut hodieque appellatur] vel Scandiâ vel Scandaviâ, veteres *Scandinavum* appellavêre: nullâque illic radices sunt Germanismi, qui tantum oras radit. Itaque Germanos inde accersens similis illi foret, qui omnes Arabas, Syrosque pro posteris *Abasfinorum* haberet; aut qui multis abhinc seculis Londinum Angliæ missam à Bostonia Americæ Coloniam crediturus esset. Suediam, *Suediam*, hodieque apud Suedos significare noxalem terram, exustis sylvis in agrum versam, constat. Fuit enim *Sueden* urere etiam apud antiquos Germanos, unde restat *Siden* coquere, & *Sud* de meridionali seu calida plaga. Sed illa regio longè ante Romanos scriptores noxalis facta est, cum *Svionum* id est Suedonum florentissimam gentem jam Tacitus agnoscat ipse Suevos usque extendit, id est partem Germanorum.

Non tamen nego colonias ex septentrionali in *citeriorem Germaniam*, sed ferius remissas. Sanè à Balthico mari Cimbrî, Saxones, Heruli, Vandali aliæque nationes venêre, & Herulorum principum majores in Scandinavia egisse nos Procopius docet. Jornandes inde & *Gothos* arcescit: contra Cluverius, Geographia veteris princeps autor, Gothorum sedes ad Vistulam locat, non spernendis rationibus: in eum Georgius Sternielmius Suedus vir doctus [qui cum Benedicto Skyttio regni Senatore; sed infelice, mutum in Harmonia linguarum elaboraverat] libello edito acrius æquo insurrexit, sed argumentis hic non perinde valet. Ego Jornandis autoritatem non planè contemno, etsi non semper tutam fatear, præsertim in remotis, nec satis coherentia narrare deprehendam. Scutus est Ablabium, & Senatoris, id est Casiodori libros de Gothicis deperditos. Jornandes ergo Gothus, ex Scandinavia Gothos arcescit, etsi eos Getis, longe antiquioribus Ponti Euxini accolis, confundat. Ego non tantum apud Suedos orientalem occidentalemque Gothiam, sed & in Cimbrica Cherfonneso *Gutiam* (sic enim ferè Jutiam pronuntiamus) & ad Vistulam olim notos Romanis Gothones, & Gothlandiam Insulam considero. Itaque potuit Gothonum vel Guttonum appellatio communis aliquando utriusque litoris Balthici habitatoribus fuisse, indeque datam huic ipsi mari nomen *Coddani* [id est Gothici] Sinus. Et quamvis Germani transmarini primi seu vetustissimi à nostris haud dubie orti sint; non tamen caret verisimilitudine postea juvenum acerrimorum globum ex Scandinavia rur-

sus egressum in cismarinis regnum Gothorum condidisse; & originem principum procerumque cum origine gentis consulam à posteris & Historicis, quasi tota gens ex iisdem locis exisset, aut Scandinavia gentium vagina esset, quæ nunquam credo valde populosa fuit Favet ipse Jornardes (c. 14.) qui nobis Gothos cum rege Berig tribus tantum navibus advehit Sanè in Gothorum, ut in Cimbrorum Francorum Saxonumque migrationibus, credendum est venientes à remotis locis, instar pilæ nivis crevisse, obviis vi vel sponte in expeditionem nomenque accedentibus. A Vistula versus Pontum Euxium paulatim progressos Gothos Cluverio cum Jornande convenit. Sed illic quoque Bastarnas aliosque dudum Germanos invenisse apparet

Arianorum migrationem in Suediam (memorata gentis mythologis sed ubique recentioribus) in tanta distantia, & commeandi nunc quoque difficultate, fabulosam credo, fistamque tunc, ubi literis admisis didicere Scandinavii quid *Asia* esset. *Asas* autem vel Heroës, cum Odino vel Wodane advectos, à Saxonibus in Cimbria adhuc agitantibus venisse apparet, apud quos ipse *Wodan* regnavit, quantum ex vetustis Anglorum gentis annalibus (longè septentrionalium scripta transcendentibus) intelligi potest. Itaque nunc Scandinavii ab his, nunc hi ab illis regnatores accepere. Wodanem tanquam peregrinum corrupere Septentrionales in *Odinum*: passim enim literâ *W*, mutilant Germanicas voces. *Danos* (vicinis *Danos*) Jornandes à *Cogenis* derivat, quos etsi in Scanzia collocet, possis extremos Jutas interpretari ad promontorium *Scagen*. Inde egressos à *Dena fluvio*, nomen *Denorum* invenisse apparet, regionem vero nomen *Denemurca*. Nam is fluvius limitem seu marcam Cimbricæ Chersonesi facit, hodie Eidora dictus ab *Heggidora* ut veteres memorant seu munimenti porta sed idem apud Ravennatem Anonymum lib. 4. c. 17. dictus *Dina*; cujus vetus nomen Deninga vel *Tonirga* servat, quæ *Donia* credo urbs apud Ethelwerdum. *Herulos* à Danis pullos Jornandes tradit cum Saxonibus piraticam exercuisse in Romanos mari & sæpe sub eorum nomine latuisse credibile est. Virtutem Anonymus ille extollit, nec Jornandes Gothus, & ipse Ravennas, laudes eorum parcè memorat.

De migrationibus Germanicarum gentium in Romani Imperii provincias non est cur multis agam, quando ex historia notæ sunt, nec

linguarum fulcro egent. Sunt tamen quæ hic notare operæ pretium erit *Suevos* illos paucos qui nomen antiquum retinuerunt *Allemannis* missos constat. *Bojos* ex Bojohemo & Marcomannis in *Bajoariam* venisse putem, cum Vinidarum gentes invalescerent: de Francis & Saxonibus paulo fusius agere oportet *Francos* inde à Troja, mox à Ponte Euxino quidam non recentes evocant, urbemque nescio quam Sicambriam ipsis ascribunt; tanquam in Pannonia aliquando habitassent; is enim mos per populos, ubi primum literas accipiunt, ut semiliterati scriptores mira comminiscantur, partim aliorum populorum antiquas narrationes vel figmenta æmulantes, partim plebejas quasdam traditiones ad ea referentes quæ in libris legunt. Unde Francis, Britannis, Scotis Scandinaviis nata sunt monstra narratiuncularum, quas Germanico vocabulo *Sagas* (id est sermones vel Fabulas) vocant septentrionales. Eruditi quidam Galli arripietes Gallorum coloniam antiquam in Germaniam deductam, hinc jam Francos derivant, ut Gallos Gallia reddant, quod optantis est, non comprobata docentis, quis enim ipsis dixit Francos ex illa partè Germaniæ ortos, quam veteres Galli infedisse scribuntur. Ego Francorum initia à Balthico litore repetenda comperi, non minus quam Vandalorum, Gothorum & Saxonum; non quod inde venerint ut magna gens, sed quia quidam globus virorum fortium erumpens, progressu in magnam gentem crevit. Nam *Marcomannici belli* occasione cum sub Marco Antonino Italia ipsa periclitaretur, barbariem in spem prædæ erectam & intimis sedibus excitam apparet: atque ex eo migrandi rabies duravit, donec exhaustæ Germanorum posteriores regiones Vinidis celsère, & citeriores in majora regna coalescentes pacatius cultæ sunt. Porro Franci mox in *Hermunduris* & *Cheruscis* sedes posuère inde ad Rhenum in Sigambrorum regionem vicinasque progressi sunt, totique jam à Mœno ad Batavos tractui nomen faciebant & mare Gallicum infestum habebant, tandemque ipsi in Galliam transièrent: cum ecce *Saxonum* posterior & adhuc dum acrior recentiore barbarie gens, à tergo supervenit.

Saxones in Cimbrica Chersonesi faucibus primus Ptolomæus agnovit, nec procul inde *Anglos* Tacitus collocat, cujus tempore aut nondum natum erat Saxonum nomen aut finibus perexiguis continebatur. Cum deinde crevissent, & *Chaucos Frisiosque* ascivissent, piratica celebres facti sunt, excensionisque in Gallia & Britannia prædæ agen-

agendæ causâ faciebant Inde *Latinus* utrumque *Saxonicum* in Notitia Imperii dictum est. Circa ea tempora Francos ab ipsis Batavia pulsos constat, eaque facta sunt antequam Britannia Saxonibus sedes præbuit, fidem discedentibus Francis in Westphalia successere. *Werinorum* deinde regna & *Thuringorum* a Francis partim, & partim à Saxonibus everfa sunt, quæ vetustioribus nominibus *Cheruscorum* & *Hermundurorum* diceres. Agei Werinorum (si *Frisiam* fortasse excipias) Saxonibus cesfit, iidem Thuringiæ partem obtinuerunt, inter Albim scilicet & Harzicos montes quæ diu *Norihuringia* in diplomatibus dicta est. Pars quoque Saxonum cum vicinis olim Longobardis in Italiam migravit. Postremo sub Imperatoribus Germanicis *Timidorum* pleræque regiones inter Albim Wartamque & ultrâ, partim coloniis Germanorum partim transgressis in mores nostros linguamque incolis, in Saxonum nomen concessere, & potissimam partem superioris Saxonum Circuli faciunt.



II.

G. G. L.

Oedipus Chymicus

ænigmatis Græci & Germanici

Intermortuas Alchymistarum spes resuscitavit aliquot abhinc annis (Anno dom. 1700.) adolescens, à quo nihil tale expectares; qui Magdeburgo, Berolinum antea veniens, puer rudis, ibique artis pharmaceuticæ tirocinia ponens, animo nescio quomodo ad chrysolopociam adjecto, postremò mira specimina edidisse fertur, quæ à multis celebrantur. Unum ab aliquot testibus oculatis mihi confirmatum est, quibus præsentibus, cum magistro suo pharmacopœo, jam initiatus huic disciplinæ, valediceret; tredecim bigrossos, quorum quisque duodecimam partem Thaleri currentis valere censetur, ab uno spectâ-